Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philippi Melanchthonis Grammatica Latina

Melanchthon, Philipp

Wittebergae, 1621

Caput XIX. Syntaxis gerundiorum

urn:nbn:de:bsz:31-112308

Visual Library

CAPUT XIX.

SYNTAXIS GERUNDIO-rum.

REGULA I.

*Nominativi Caſus Gerundia in DUM, neceſsitatem ſignificant, & vel Dativum perſonæ juxta ſe habent, vel caſum omnino nul-
1. lum. *ut:*[1]

Vigilandum eſt nobis. Nunc eſt bibendum.

REGULA II.

*Genitivi Caſus Gerundia in DI, aliis Nominibus adjiciuntur, præcipuè Voluntatem aut Facultatem ſignificantibus. *ut:*

Animus occidendi. Occaſio emergendi.
2. *Auſcultandi cauſa.*[2] *Athenas erudiendi gra-*
3. *tia*[3] *miſſus. Iuſtin. l. 27.*

REGULA III.

*Dativi Caſus Gerundia in DO, ſubjici-
4. untur[4] Nominibus aut Verbis, in ſignificatio-
5. ne CUI REI. *ut:*[5] *Aptus diſcendo.*

Epidicum qværendo operam dabo. Plaut. Epid.

† Etiam in Ellipſi. *ut: Non ſum ſolvendo. Cic. 2. Off. ſc. aptus vel ſufficiens.*

REGULA IV.

*Accuſativi Caſus Gerundia in DUM, Præpoſitione annectuntur Nominibus aut
6. Verbis. *ut:*[6]

Aptus

Aptus ad diſcendum.

Mitto illum ad ſpeculandum arcem.

† Interdum tamen ſine Præpoſitione uſurpantur, qvando videlicet neceſsitatem ſignificant in locutione Infinitiva.[7] *ut*: 7.

Audio vigilandum[8] *eſſe nobis.* 8.

Video ſurgendum eſſe.

REGULA V.

* Ablativi caſus Gerundia in DO, ſeqvuntur Nomen aut Verbum, vel ſine Præpoſitione [† qvando Cauſam aut Modum ſignificant:] vel cum Præpoſitione [† qvando ex Præpoſitione ſignificatio determinatur] *ut*:

Omnia conando[9] *docilis ſolertia vincit. Manil.* 9.

Ratio rectè ſcribendi, cum[10] *loqvendo juncta eſt. Fab.* 1. 4. 10.

REGULA VI.

† Regunt Gerundia Activè[1] ſignificantia, 1.
poſt ſe caſum Objecti Verborum ſuorum, perinde ut cæteri Modi, cæteraq; Tempora. *ut*:

Utendum[2] *eſt ætate. Ovid.* 3. *de Art.* 2.

Pacem Troiano à Rege petendum.[3] *Virg.* 11. *Æn.* 3.

Carendum[4] *erat tui. Ter.* 4.

Occaſio ſalutandi amicos.

Ancillæ nos lavando & eluendo operam dederunt. Plaut. Pœn. 1. 2.

Miſſus eſt ad ſpeculandum arcem.

Homines nihil agendo, male diſcunt agere.

REGULA VII.

△ Locutio Gerundiva ſæpè mutatur in
1. Participium Futurum [1] in DUS, eodem gene-
re, numero & Caſu cum Subſtantivo jun-
2. ctum. *ut*: [2]

Non inflammandi tui cauſa, ſed teſtificandi amoris mei. Cic. l. 2. Fin.

Prælia de occupando ponte crebra erant. Liv. l. 7. ab U. C.

REGULA VIII.

3. △ Gerundium in DI, ſæpè [3] jungitur Ge-
nitivis pluralibus cuiuscunqve generis. *ut*:

Nominandi iſtorum magis qvam edendi copia eſt. Plaut. Capt. 4. 1.

Date creſcendi copiam, novarum qvi ſpectandi faciunt copiam. Ter. Heaut. Prol.

CAPUT XX.

SYNTAXIS SUPINORUM.

REGULA I.

*Supina priora, ſi Activè ponuntur,
1. Caſum Verbi ſui [1] aſciſcunt, & cum Verbis
ſignificantibus motum ad rem junguntur.
2. *ut*: [2]

Venio ſalutatum amicos. Eo emptum panes.

Si autem Paſſivè ponuntur, etiam Abla-
3. tivum cum Præpoſitione [3] regunt. *ut*:

Spero literas meas à te lectum iri.